

quam ergo insensati peccatores, qui hunc ignem evadere non satagunt! fateor, quod verba desint, nec loqui valeam, ut exprimam dementia hominum in statu lethalis peccati viventium; qui cum coram se accensos tartari rogos videant, ab eis declinare non curant. Sciunt, quod subitanea morte rapi possint; norunt, quod si subito moriantur, mox in æternos inferni ignes præcipitabuntur; et tamen sua per poenitentiam crimina delere negligunt, et reanunt: o quantam stultitiam! Credunt miseri, quod sub eorum pedibus est infernus; credunt, quod ibi est fluvius, et quasi mare igneum, in quod æternum cruciandi præcipitabuntur, si non convertantur ad Dominum; et tamen nec de conversione cogitant; o stulti, o insensati homines! Cum eis dicimus: creditisne æternum esse ignem inferni? respondent: *credo*. Cum ab eis petimus, an credant omnes in statu mortalis peccati morientes in æterno hoc igne cruciandos? respondent: *credo*. Licet autem se hoc credere profiteantur, aliena non restituant, inimicis parcere nolunt, pravos non eradicant habitus; poenitentiam, et alia ad hunc ignem vitandum necessaria agere recusant; o magnam, o inexplicabilem hominum hujusmodi stultitiam! O stulti, aliquando sapite, a peccatis aliquando surgite, ut gravia et æterna hujus ignis supplicia declinare valeatis. Si terret vos poenitentia, ut vanum hunc terrorem expellatis, mementote, quod *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amarissima poenitentia* (In vitis Patr. l. 3, 5). Suadet astutus dæmon duriora et acerbiora esse poenitentiæ exercitia; gravissima vero et æterna tartarei ignis supplicia ab hominum mentibus avocet, vel ea quasi nullius momenti esse inspirat; vos tamen duriozem in hoc mundo poenitentiam generose suspicite, quia *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amarissima poenitentia*. Hoc probe noverat senex ille monachus, in maxima austeritate vivens; qui rogatus quomodo rigorem illum perferre posset, respondit: *omnis labor totius temporis quo in hac solitudine vixi, nondum unius horæ tormentorum æternorum spatium adæquat*. Amabat ille hujus mundi poenitentiam, quia timebat inferni

supplicia; amarem et nos poenitentiam, si terribilia, et æterna ignis tartarei supplicia sæpe recogitaremus. O peccator, qui salutarem poenitentiam tantopere reformidas, animo volve hoc stagnum ignis et sulphuris; serio meditare hunc locum tormentorum, ubi miseri in fasciculos colligati gemunt, clamant et ululant. Ibi considera innumeros avaros, libidinosos, blasphemos, invidos, gulosos, et alios reprobos, qui dirissime torquentur in igne inextinguibili, quia in hoc mundo poenitentiam agere noluerunt. Hæc serio perpende, et intra temetipsum dic: o quam melius est in hoc mundo aliena restituere, inimicis parcere, a blasphemis, fornicationibus, et aliis vitiis abstinere, quam in inferno ardere: sic intra temetipsum loquere, sic ratiocinare, ac veræ poenitentiæ operibus studiose incumbere, ut tartareos ignes devites, et æternæ felicitatis gaudia assequi merearis. *Amen*.

FERIA VI POST DOMINICAM SECUNDAM.

DE INTERNIS DAMNATORUM SUPPLICIIS.

Crucior in hac flamma [Luc. 16, 15].

Consueverant olim christianæ religionis hostes, fideles vestibus sulphure, pice, resina, aliaque materia ad ustionem idonea imbutis induere, eosque deinde in urbium compitis alligare, et in mediis noctis tenebris, admoto igne, eos vivos comburere; *ut in noctis faces converterentur*. O crudele spectaculum! quid enim horribilius, quam quod homines innocentes vivi comburantur, et quasi in faces accensas convertantur? Immane hoc inventum ex dæmonis officina hand dubie prodiit: Christus vero mira sacri sui amoris inventione, in conspectu omnium ponit divitem avarum tartarei ignibus circumdatum,

illum veluti facem viventem et accensam concionatorum cathedris alligat, ut tanto spectaculo homines ad eradicandos pravos habitus, et ad poenitentiam agendam efficaciter alliciat. Contemplerur adhuc hodie helluonem hunc, in mediis flammis clamantem: *Crucior in hac flamma*. Simulque mentis oculis interiora cordis ejus introspeciamus, ut in eo adnotemus cogitationes varias, quibus crudeliter torquetur. Gravissimum quidem illi et omnibus reprobis ignis tartarei tormentum, sed gravius torqueri videntur cogitationibus dilanantibus corda eorum. De inferni ignibus heri diximus; hodie de internis divitiis et aliorum reproborum poenis, seu de cogitationibus corda illorum discerpentibus erit concio. *Ace*.

Dives avarus in mediis inferni ignibus Deum, paradisum, et supplicia sua recogitat: *Deum*, in quem toties peccavit: *paradisum*, quem perdidit; et *supplicia* quæ in æternum passurus est. Deum animo versat dives hic epulo, cum ab eo postulet, ut mittat Lazarum: *Pater Abraham mitte Lazarum* (Luc. 16). Paradisi etiam meminit avarus ille, cum sursum oculos tollat: *eleoans autem oculos suos*. Supplicia tandem, quæ patitur et perpessus est, mente revolvit; cum se in loco tormentorum degere clamat: *in hunc locum tormentorum*. O quam beati, qui in hoc mundo persepe de Deo, de paradiso, et de inferni suppliciis cogitant; *de Deo*, ut illi fideliter inserviant: *de paradiso*, ut ad illum assequendum strenue laborent: *de inferni suppliciis* ut ea vitare student. Væ autem diviti avaro et aliis reprobis in inferno existentibus, quia de Deo, de paradiso, et de inferno continue cogitant; tribus enim his cogitationibus, quasi tribus internis tortoribus, dirissime cruciantur. 1. Recogitant Deum, in quem toties peccaverunt; *ecce primum tortorem*. 2. Recogitant paradisum, quem sua culpa perdidit: *ecce secundum*. 3. Recogitant supplicia, quæ actu patiuntur et in æternum perpessuri sunt: *ecce tertium*. Damnati torquentur cogitatione Dei, paradisi, et suppliciorum suorum. En tres tortores interni, a quibus cruciantur corda eorum: et en etiam tres huius concionis partes.

I PARS.

Damnati torquentur cogitatione Dei.

Ita acerba damnatorum supplicia censet D. Augustinus, ut eorum vi cogantur ad illa semper recogitanda, nec alio mentem et cogitationes suas traducere valeant: *ninio dolore premuntur, ut interim mentem in aliam cogitationem non ferant*. Doctoris illius mentem Doctor alius, nempe Seraphicus Bonaventura, explicat dicens, damnatos solummodo cogitare de suppliciis, vel de iis, quorum cogitatio supplicia et penas eorum augere potest: et ideo cum cogitant, et animo volvunt divitias quas in sæculo possederunt, voluptates quibus adhaeserunt, dignitates ad quas sublimati fuerunt, propinquos et amicos a quibus derelicti sunt, hæc et alia similes cogitationes, supplicia et dolores eorum plurimum adaugent. Et quod mirabilius et incredibilius videtur, cum de Deo cogitant, hæc cogitatio eos dirissime torquet. Sancti qui in cælo sunt, et damnati qui cruciantur in inferno, de Deo semper cogitant; at modo longe diverso. Sancti in cælo Deum facie ad faciem contemplantur, eum intuitive semper vident, et clara hæc Dei visio simul cum amore ejus est præmium, beatitudo et merces sanctorum: *hec est summa merces, videre te*. Damnati vero Deum facie ad faciem non vident: licet enim in inferno sit per essentiam, et per præsentiam; non tamen ibi eum reprobi intuitive vident; eum solummodo norunt cognitione quadam abstractiva, habent solum species et ideas quasdam acerbæ et terribiles, quibus mediantibus concipiunt, quanta sit majestas Dei, in quem toties peccaverunt, quanta sit bonitas Dei, quem criminibus suis irritaverunt, quanta sit justitia Dei, a qua in æternum plecti meruerunt; et hæc de Deo cogitationes plurimum cruciant reprobos, eorumque suppliciis maximum incrementum afferunt. Quod præclare docet Ezechiel, cum Dei vultum sub specie crystalli horribilis repræ-

sentat: *quasi aspectus crystalli horribilis*. Nonne congruentius hic propheta loqueretur, si cum Malachia diceret, Deum esse quasi ignem reprobos vorantem: *ipse enim quasi ignis conflans*? Nonne majorem peccatoribus orrorem infligeret Ezechiel, si, cum Zacharia, Deum oculis impiorum obiceret, tamquam turbinem horrendum in eos irruentem; *et vadet in turbine austri*? Nonne ad penitentiam peccatores efficacius adduceret sanctus ille vates, si cum Daniele, Deum induceret in throno igneo sedentem, et adversus illos tonantem: *Thronus ejus flamma ignis*? (Dan. 7). Cur ergo Deum non sub his speciebus, sed sub figura crystalli, et crystalli horribilis representat? Ratio est, quia cum Deus reprobos suppliciiis sempiternis adjudicavit, eosque in infernum æternum cruciandos mittit, mentibus eorum horribile quoddam lumen et terribilem quandam ideam infligit, quæ est veluti crystallus horrenda eis semper representans Deum, ut bonum infinitum, quod perdididerunt; ut ens summe bonum quod contempserunt; ut iudicem severum, in quem peccaverunt; ut Deum ultionum, quem irritaverunt: quibus ideis reprobis, plus quam dici potest, cruciabuntur. Sicut enim sanctis in celo regnantibus Deus dat lumen gloriæ, elevans eorum intellectum ad claram et intuitivam sui visionem, qua beati fiunt: ita et Deus, ut reprobos torqueat, eorum mentibus imprimit lumen quoddam crystallo horribili simile, quo eorum intellectibus indesinenter obicitur Deus, ut iratus, ut terribilis, et ut vindex: *quasi aspectus crystalli horribilis*. Postulat a Deo David, ut *convertantur peccatores in infernum* (Psal. 9). Probe novit propheta, peccatores in inferno converti nequire, quia nec locum, nec tempus, nec gratias ad veram conversionem necessarias habent: cur ergo in inferno eos converti postulat, *convertantur peccatores in infernum*? Non de conversione cordis, quæ eis est impossibilis, sed de conversione mentis loquitur propheta. Quamdiu enim in seculo vivunt peccatores, de Deo vix cogitant; oculos et mentem ad divinorum mysteriorum considerationem vix elevant; *oculos suos compresserunt, ne forte videant* (Act. 28, 27). Itaque Deum rogat vates regius, ut pec-

catorum mens in inferno convertatur, seu ut peccatores in suæ ingratitude penam in inferno cogantur ad continue recogitandum Deum, cujus in hoc mundo oblitus sunt: *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*. Hæc est pena, qua a Deo peccatores plecti petit propheta; et hæc est gravissima pena, quam infligit Deus damnatis. Sic enim in celo se videndum exhibet sanctis, ut eos beatificet; et ut cruciet reprobos in inferno, cogit eos ad semper mente revolvendum Deum optimum maximum, quem spreverunt, Deum summe bonum, in quem peccaverunt, et Deum iratum, a quo in æternum plectentur. Hæc de Deo cogitatio gravissimum et intollerabile est eis supplicium.

Optarent damnati non cogitare de Deo; illius in inferno oblivisci cuperent, sicut ejus oblitus sunt in hoc mundo, nec tamen illius oblivisci poterunt: eorum mentibus se semper offerret, ejus semper recordabuntur, et ut loquitur Cajetanus, *detinebitur intellectus eorum ad cogitandum, et voluntas ad detestandum*. Cum in seculo viverent, de Deo vix cogitabant; in inferno magni erunt contemplatores, qui continue Dei recordabuntur, semperque animo volvent, quam bonus erga ipsos extiterit, quot beneficiis eos affecerit, quam inique in illum insurrexerint, quam juste ab eo puniantur, quam crudeliter ab eo in æternum sint separandi. Et quia hæc cogitationes gravitatem suppliciorum, quæ perpessus sunt, plurimum et quasi in infinitum augebunt, adversus semetipsos irascentur, ac malitiam et ingratitude suam detestabuntur, *detinebitur intellectus eorum ad cogitandum, et voluntas ad detestandum*. Magno successus zelo Isaias propheta, a Deo petit, ut impii in inferno ab ignibus devorentur: *ignis hostes tuos devoret* (26, 11). Ecce gravissimum supplicium, quo reprobos in inferno plecti optat Isaias; nil enim intolerabilius videtur, quam quod damnati æternis inferni ignibus crucientur. Alio tamen, eoque graviori supplicio eos affici postulat propheta, dicens, *ignis hostes tuos devoret; non videant; videant*. In majus reprobos supplicium a Deo petit, ut *non videant* ea, quorum visio aliquid voluptatis eis afferre posset,

et ut ea *videant*, quorum intuitu affligi et cruciari possunt. Votum autem prophetæ adimplet Deus, quia reprobi in mediis inferni ignibus existentes, non vident, et vident. *Non vident* amicum qui solatium afferat, propinquum qui subveniat, vel aliud quodlibet objectum, cujus præsentia illorum supplicia vel minimum leniantur. Econtra *vident* rogos immensos, formidandos dæmones, et inviti indesinenter recogitant, quam male dies salutis insumperint, quam indigne oblata ipsis divina gratia usi sint, quam maligne Christi Sacramenta profanaverint: *vident* quomodo modico labore Deo placere, legem ejus servare, et propriæ salutis consulere poterant, *vident* tandem, et indesinenter cogitant, quomodo Deum suum, Creatorem suum, et benefactorem suum pro momentanea voluptate, pro modico lucro, pro honore volatili toties offenderint, et continua hæc de Deo cogitatio est illis supplicium ipso inferni igne gravius. Dum in sæculo vivunt impii turpi iniquitatum et passionum suarum velamine ita eorum operiuntur oculi, ut vix aliquando cogitent de Deo, a quo facti sunt, a quo redempti sunt, et a quo innumera beneficia perceperunt; post mortem aufertur hoc malitiæ velamen, *tunc aperiuntur oculi, tunc aufertur velamen* (Chrys. ho. 24. in Matth.). Tunc vident quod in mundo videre recusabant; tunc cogitant de Deo, cujus obliti sunt in mundo. O quam dura, et acerba illis est hæc cogitatio! O quam grave hoc supplicium! Moysi præcepit Deus, ut quosdam idololatrias facie ad solem versa suspenderet, *suspende eos contra solem in patibulis*. Quare hoc? ut deceat, damnatos in mediis suppliciiis faciem semper ad Deum justitiæ solem versam habituros. Hi in inferno ad Dei considerationem semper erunt intenti, eum semper animis suis volvent; eum continue inspiciunt ut benefactorem supremum a quo innumera perceperere bona, et ut Deum vindicem, a quo gravissima perpressuri sunt supplicia. Quilibet reprobis *cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum*; et *ante conspectum Agni*. Quilibet quidem *cruciabitur igne et sulphure*, quia quilibet sulphureis ignibus in æternum addicetur; cruciabitur etiam *in conspectu Angelorum sanctorum*, quia in

pœnam suæ ingratiitudinis semper recordabitur Angeli Custodis, cujus monita, consilia, et beneficia contempsit: cruciabantur tandem *ante conspectum Agni*, quia in mediis cruciatibus, quos ab igne et sulphure patietur, Christum agnum sine macula et justitia solem semper inspiciet ac mente revolvet, dicens intra se: Hei mihi misero! ut quid oblitus sum Dei mei, et benefactoris mei? cur peccavi in Christum qui pretioso suo sanguine me redemit! cur toties Spiritus Sancti gratias abjeci? quare toto vitæ meæ tempore Deo fideliter non inservi? Heu, me indignum omni gratia et omni supplicio dignum? major est malitia mea, quam ut veniam et misericordiam merear, quia peccavi in Deum meum et Dominum meum. Hæc et alia his similia in inferno recogitabis, peccator, si in hoc mundo ad Deum non converteris; mens tua ad Deum semper erit intenta; assidue cogitabis *de Deo*, quem toties offendisti; *de Deo*, cujus plerumque oblitus es; *de Deo*, cuius beneficia conculcasti; *de Deo*, qui de te vindictam sumpturus est, et continuæ hæc cogitationes cor tuum lancinabunt, dilaniabunt, et dire torquebunt. Ecce primum cordis tui tortorem. At cogitabis etiam *de paradiso quem perdidisti*, ecce secundum cordis tui tortorem, et secundam huius concionis partem.

II PARS.

Damnati torquentur cogitatione paradisi.

Pœna sensus, quam patiuntur in inferno reprobi, tanta est, ut respectu ejus acutissimi quique morbi quibus alliguntur mortales, omnia supplicia quibus a justitia sæculari adjudicantur rei, et omnia tormenta que unquam a tyrannis perpressi sunt martyres, pro nihilo reputanda sint. Cum vero gravissimam quasi hanc sensus pœnam, quam perferunt damnati cum pœna damni conferimus, non gravissima, imo levis censenda, quia omnium pœnarum maxima est a paradiso et a cœlesti gloria excludi; *multo durius tormentum quam gehenna est non*

assumptum esse ad tantam gloriam, et illinc elapsun esse; et opinor non tanto dolore lugendum de malo gehennæ, quam casum deplorare, quod cælo cecidimus; qui est cruciatus omnium gravissimus (S. Bernard. ep. 5 ad Theod.). Quamvis in inferno nulli essent dæmones, qui reprobos torquerent; quamvis nullibi ignes qui eos comburerent, nullæ tenebræ quæ eos obcæcarent, nulla vincula quæ eos stringerent, nulli vermes qui eos roderent; imo licet infernus ex se esset locus amœnus, ac remotus ab omni pœna sensus, ita tamen grave est damnatis privari a cœlesti curia, et excludi a paradiso, ut hæc unica pœna omnes alias longe transcendat; et comparatione illius omnes aliæ pro nihilo habeantur: *tantum malum videtur de tanta gloria cecidisse, ut gehennam pro nihilo habeant, pro hoc damno ac ruina* (Chrysost. ho. 13 in ep. ad Philipp.). Cum amicum quemdam sibi charissimum aliquando perdidisset D. Augustinus, tantas ex ejus jactura passus est afflictiones, tot per ejus privationem cruciatus est doloribus, et tam moestis cor ejus tranfixus est cogitationibus, ut absente amico nihil ei placeret, displicerent omnia: et ut ipse de seipso loquitur, « æstuabar, suspirabam, flebam, turbabar, nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam et cruentatam animam meam et ubi eam ponerem non inveniebam: non in amoenis nemoribus, non in ludis atque cantibus, non in suaveolentibus locis, nec in conviviis apparatus, nec in voluptatibus cubilis et lecti, non denique in libris atque carminibus requiescebam. Horrebam omnia: et ipsa lux, et quidquid non erat quod ipse erat, improbum et odiosum erat? (lib. 4 Conf.). » Heu! si tam gravia patitur Augustinus ob jacturam amici unius, a quo nec vitæ beneficium, nec animi sive corporis bona, nec dona cœlestia perciperat, quantus, quæso, dolor est damnatis, quantum iis supplicium, perdidisse Christum amicum verum, a quo vitam et innumera beneficia acceperant; perdidisse Mariam Dei Genitricem, omnes sanctos, omnem curiam cœlestem et totum paradysum? Hæc, ut ait idem Augustinus, tanta est pœna, ut ei nulla tormenta comparari valeant: *Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine*

dulcedinis Dei, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta comparari (Euch. 12). Magnum sane supplicium, et maximus dolor unigenito regis filio, cum ob aliquod crimen quod perpetravit, privatur regno ad quod ei jus dabat regia nativitas. At sicut omnibus hujus mundi regnis infinite majus est regnum cœlorum, ita et infinite gravior est pœna hominis reprobi excludi a cœlesti regno, ad quod jus habebat per baptismi receptionem, qua Dei filius et hæres factus fuerat. Tantum hoc ei est supplicium, ut hoc cætera inferni supplicia facile superet: *illa gravior intolerabiliorque est pœna, quam cætera gehennæ supplicia*. Quod sanctus Basilius explicat exemplo oculi. Sicut, inquit, maximus oculi morbus est privari facultate videndi, licet hic dolor non sit sensibilis: ita omnium suppliciorum quæ in inferno perferunt reprobi, gravissimum illud sane est, quod scilicet, priventur visione Dei, cœlesti gloria, et paradisi gaudiis: *hæc erit gravior pœna, ut oculo privato luminis, licet non adsit dolor*. Non ultra immorabor in exaggeranda gravitate supplicii, quod patiuntur damnati per privationem beatitudinis; hoc addam quod idem supplicium iis inde longe gravior est, quod continue cogantur ad cogitandum de illa beatitudine, et de æterna felicitate, quam sua culpa perdidit. Semper quilibet damnatus considerabit titulos quibus innitebatur jus, quod habebat ad cœleste regnum, quod suis criminibus amisit: semper attente perpendet quam magna gloria beatorum in cœlo, quam felices hi qui in paradiso habitant, et quam infeliceiter jus ad hoc regnum sua culpa ac pro nihilo perdidit. Ex qua consideratione cujuslibet damnati supplicia plurimum augebuntur, etenim ait sanctus Gregorius, *ut peccatores in supplicio amplius puniantur, eorum vident gloriam, quam contempserunt* (Hom. 40 in Ev.).

Dives avarus, oculos in cœlum elevans, in sinu Abrahæ vidit Lazarum quem contempserat, et cui cadentes e mensa micas dare recusarat: *elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus* (Luc. 16, 13). Cur vult Deus, hunc epulonem videre Lazarum

in sinu Abraham? non quidem ut Lazari et paradisi visione aliquod in suppliciis suis levamentum percipiat: imo vero ut videns se modica voluptate perdidisse hanc beatitudinem qua potitur Lazarus, inde gravius affligatur et torqueatur. Quod non soli avaro diviti, sed et omnibus damnatis contingit, qui omnes ad cœlestem regnum, quod perdidērunt, continue considerandum compelluntur. Ideo, ait S. Gregorius, vult Deus, ut hi ab imo inferni carcere sanctos in paradiso regnantes contemplantur, ad hoc ut tali consideratione acerbius puniantur: *injusti in requie quosdam justos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono cruciantur*. In formidando extremi iudicii die binam Christus proferet sententiam: *primam* in favorem electorum, *alteram* in condemnationem reproborum. Electis dicit: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*: deinde dicit reprobis: *discedite a me maledicti in ignem æternum* (Matth. 25, 41-44). Cur prius electos ad cœlestia regna vocat quam ad inferni supplicia reprobos condemnet? cur prius cœlestem beatitudinem electis confert, quam reprobos a facie sua expellat et ad tartara mittat? Ita Christus, inquit sanctus Gregorius Nyssenus, ut reprobi videntes gloriam qua electis datur, ejus consideratione torqueantur: *ut videant injusti que perdidērunt; reportaturi secum primam pœnam alienæ beatitudinis conscientiam*. Hæc est pœna, quam in infernum portabunt secum reprobi: semper ibi considerabunt gloriam, qua fruuntur sancti; semper mente revolvant paradysum in quo regnant beati, et a quo ipsi ceciderunt; et illa pœna ita is gravis erit, ut quisque desperans, linguam suam dentibus mordeat: *commanducaverunt linguas suas præ dolore* (Ap. 16, 10). Heu! qualis dolor principibus damnatis, cum videbunt in cœlo innumeros rusticos, opiliones, et mendicos gloriose regnantes? heu! quanta tristitia usurariis, et alienorum iniquis detentoribus, cum in cœlo conspiciant Zachæum, et alios qui ablata restituerunt, gloriosissime triumphantes? quanta mæror obduratis et execratis peccatoribus, qui pœnitentiam in sæculo agere noluerunt, cum in cœlo in-

tuebuntur Paulum, Magdalenam, et alios qui paradisi gaudia assecuti sunt, quia pœnitentiæ in hoc mundo generose adhaeruerunt. Heu! quam grave et durum erit omnibus peccatoribus, cum assidue recogitare cogentur paradisi gloriam quam perdidērunt, quia a viis suis pessimis declinare, et virtutum operibus incumbere noluerunt? O quales fletus! o quales gemitus! o quales ululatus! tunc quilibet reprobos manducans linguam suam, et gemens, intra se dicit: O infelix ego, qui justissimo Dei iudicio cœlum pro terra amis, qui pro volatili carnis voluptate æternis privor deliciis, qui pro creatura Creatorem perdidisti, qui pro vanis sceleribus a paradiso in æternum propulsor! Hei mihi, dicit etiam quilibet reprobis; hei mihi misero cui in sempiternum clausa est paradisi janua! O crudelis ambitio, tu me a paradiso voluptatis expulisti! o infaustæ divitiæ, vos mihi æternas cœli divitias eripuistis! o effrænata peccandi libido, tu mihi cœlestis regni fores observasti! Vale æterna paradisi gloria, quam pro levissimo vanitatis fumo perdidisti: valete ineffabilia regni cœlestis gaudia, quæ pro obscœna voluptate amis. Vale, amplissima empyrei magnitudo, quam pro unico terræ puncto reliqui; valete, Angeli, valete, Sancti, valete et in æternum valete, quia a vobis in æternum separabor. Talia indesinenter intra se dicent, et continue cogitabunt reprobi in inferno, *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt*. Hæc semper mente revolvunt, et continue animis suis versabunt; paradysum quem perdidērunt, *ac etiam inferni supplicia quæ patiuntur, et veterum perpessuri sunt*, et hæc cogitatio est tertius tortor quo interiorius cruciantur, ut in tertia hujusce concionis parte jam videbimus.

III PARS.

Damnati torquentur cogitatione suppliciorum inferni.

Terribilis et incomprehensibilis est æternitas pœnarum, quas patiuntur damnati. Cujus ut aliquam mentibus nostris ideam

ingerat Doctor Seraphicus ait, quod si unus ex damnatis singulis quibusque annorum millibus unicam dumtaxat funderet lacrymam, ex lacrymis sic ab eo fusis et collectis prius feret mare oceano majus, quam pertransissent supplicia ejus. Ait etiam præfatus Doctor quod si Deo sic ordinante, avicula quædam ex immensa totius terræ massa singulis centenis annis tantum alio transferret, quantum ponderat unicum tritici granum; tota terræ moles prius ab illa ave alio translata esset, quam pertransierint æterna supplicia, quæ damnati patiuntur. Infinitam æternitatis durationem alia similitudine explicare conantur nonnulli dicentes: totius cæli superficies extensa operiatur papyro; omnes volucrum pennæ aptentur in calamos; totum mare in atramentum convertatur; omnes Angeli supra hanc papyrum millenos et millenos annorum numeros continue scribant: ultra hos omnes numeros protenditur æternitas: quia horum annorum numeri tandem aliquando pertransierint, æternitas vero pœnarum inferni durabit semper, nec unquam præteribit. O quam formidanda pœnarum æternitas! o quam terribile damnatis tota æternitatis duratione ignium vim, duros vermium morsus, tetri carceris tenebras et alia inferni supplicia perpeti; ad hæc o quam acerbum reprobis in inferno præsentem hanc pœnarum æternitatem semper recogitare! quam durum sit hæc supplicia in æternum pati; ipsi serio cogitant et meditantur non solum supplicia, quæ actu perferunt, verum etiam ea quæ in æternum passuri sunt; et continua hæc præsentium et futurarum cogitatio pœnarum est crudelissimus tortor, a quo eorum corda dirissime cruciantur. Ea quæ tempore mensurantur, et quæ aliquando finem sunt habitura, longa et diuturna non censentur: *nulla longa mora ejus quod*

habet finem, inquit Tertullianus; et ut loquitur D. Augustinus, *omnis res quæ habet finem, brevis est*. Centum milliones annorum nobis quidem infinitæ videntur durationis: si tamen cum æternitate conferantur, non diuturni, sed brevissimæ durationis dicendi sunt; quia æternitas numquam transit, nec unquam habet finem; et centum milliones annorum finem habent, ac tandem aliquando præteribunt. Et ideo si Deus reprobo revelaret, eum post centum milliones annorum e tartari suppliciis liberandum, aliqua inde ei adveniret consolatio; at cum recogitant damnati, se non solum ad annorum milliones centum, sed in æternum passuros ignis tartarei ardores, dæmonum tyrannidem, ac omnia Dei adversus illos irati flagella, hæc cogitatio corda illorum crudelissime disruciatur, eosque doloribus inexplicabilibus afficit.

Cogitatione effinge regem, vel alium quemvis hominem, qui omnibus felicitatibus affluat. Puta quod habeat omnes Cræsi divitias, omnem Salomonis sapientiam possideat, omnibus fruatur Sardanapali deliciis; sciat quidquid in hoc mundo est scibile, et obtineat quidquid ex terrenis bonis est desiderabile: si tamen inter tot felicitates vel minimum quoddam continue et diu patiatur incommodum: si inter tot bona quibus gaudet, hoc v. g. habeat incommodi, quod indesinenter ob oculos ejus volitet musca. Levis quidem in se hæc esset incommoditas: si tamen prævideret et certe sciret, hanc muscam ex Dei ordinatione annis viginti, semper iterum et iterum ob oculos suos transituram; nonne hæc pœna, quæ ex se levissima est, duratione sua gravis fieret? Nonne hæc pœna ad viginti annos protensa omnia hominis hujus oblectamenta, omnemque ejus felicitatem quasi ad nihilum redigeret? certe levis hæc molestia, duratione viginti annorum eum dolore et mœrore conficeret. Heu! quid hujus muscæ importunitas respectu pœnarum inferni? Quid iteratus alicujus oculos unius muscæ volatus comparatione ineffabilium suppliciorum, quæ in inferno perferunt damnati? Quid, pati, quod musca una viginti annorum spatio ob alicujus oculos indesinenter volitet, si hæc pœna eum infandis tormentis comparetur? si grave esset huic homini prævidere, et continue

recogitare, hanc muscam viginti annis oculos ejus circumvolaturam; quam grave et quam acerbum supplicium damnatis, prævidere et semper cogitare, quod in æternum circumvolitantes videbunt demones, a quibus indesinenter modis inexplicabilibus, torquebunt? Hæc prævisio, et continua hæc cogitatio damnatis haud dubie supplicium erit gravissimum. Quod ut adhuc clarius et evidentius pateat, familiari alia utar similitudine. Dic, quæso, dum imminente quadragesimali tempore, bacchanalibus vacas, nonne aliquid tibi amaritudinis causat instantis quadragesimæ cogitatio? Nonne cum prævides, et recogitas abstinendum et jejunandum quadraginta diebus, aliquid inde doloris cordi tuo suboritur? Nonne hæc prævisio aliquam cordi tuo pœnam ingerit? Quid vero, si prævideres, jejunandum quadraginta annis continuus in solo pane et aqua? Nonne hæc prævisio cor tuum summopere torqueret? haud dubie hæc prævisio esset tortor internus, a quo plurimum torquereris. Si ergo hæc cogitatio dolorem et amaritudinem magnam tibi esset illatura, ratiocinare et judica, quantus dolor, quantum supplicium damnatis, prævidere et cogitare assidue, quod non ad quadraginta solum, vel ad centum annos, sed in æternum perpressuri sint famem insatiabilem, horribilem sitim, ignis ardores, et omnia tartari tormenta? Certe hæc cogitatio erit illis supplicium grave plusquam dici, imo plus quam excogitari possit. Aliam adduco similitudinem. Cum alicui reo annuntiatur, eum patibulo, igni vel alteri supplicio fuisse adjudicatum, nonne durus hic nuntius eum conturbat? Nonne prævisio, et imminētis mortis cogitatio illum contristat? Nonne interdum aliqui rei hæc cogitatione et instantis mortis prævisione ita affliguntur ut in desperationem et in insaniam declinent: quid ergo sentiendum de damnatis, qui dirissima tartari supplicia perferunt, et qui indesinenter cogitant, se in æternum ea perpressuros? qualem dolorem, qualem iis inferi tristitiam continua hæc cogitatio? quale hoc illis supplicium? tale quidem, ut nec explicari nec concipi queat.

Sancta virgo Theresia ineffabili alluebat gaudio, cum symboli verba audiebat, *cuius regni non erit finis*. O me felicem,

inquebat, quæ Domino servio, cujus regnum æternum, et cum quo in sempiternum regnabo, modo ei fideliter inserviam! non dabit hic mihi transitoriam mercedem, sed regnum dabit cujus nullus erit finis. O Christifideles, si hæc æternæ mercedis prævisio, mirabilem Theresiæ inferebat lætitiā, quantus econtra dolor homini damnato, cum recogitat, quod postquam mille et centum mille annis dira inferni supplicia pertulerit, nondum erit finis? quanta pœna reprobo serio cogitanti, quod postquam uno et centum annorum millionibus in tartari carcere clausus manserit, nondum ex eo egrediendi tempus erit? quantum supplicium impiis in inferno gementibus, cum mente revolvunt, se non solum ad mille millones annorum, se in æternum terribilium tartari ignium vim perpressuros? quantus labor, quanta illis tristitia, cum animo versant, quod in perpetuas æternitates calicem iræ Dei bibituri et diram dæmonum tyrannidem passuri sint? hac certe cogitatione ita torquentur, ut nec mente percipi possit; quam grave sit illis hoc supplicium. Heu! quis non timeat tanta supplicia? O impie, nonne times in tartaream mitti fornacem, ibique cogi ad semper maxima cum cordis amaritudine, cogitandum de Deo, de paradiso, et de æternis inferni suppliciis. O formidandas cogitationes! o terribiles meditationes! o quam melius est in hoc mundo cogitare *de Deo* ut illi inserviamus; *de paradiso*, ut illum assequi mereamur; *de inferno*, ut ejus supplicia divitemur. De Deo, et de paradiso sæpe cogitabat vates regius; speciali vero sollicitudine æternitatem pœnarum inferni mente revolvebat: *annos æternos in mente habui*; hanc æternitatem crebro recogitabat, ac illa cogitatione ad purgandam ab omnibus peccatis animam suam excitabatur; *et scopebam spiritum meum*. Hanc similiter in hoc mundo pœnarum æternitatem animo sæpe revolvite, hanc serio et efficaciter meditamini. O impie, sæpe intra temetipsam dic, et iterum dic: si nunc in lata iniquitatis via ambulem, æternis suppliciis in inferno plectar; si a viis meis pessimis non declinem, sempiternis addicar tormentis; ac pro modica voluptate pœnam æternam subire cogar. Seraphicus pater sanctus Franciscus, ut fratres suos ad ardua quævis pro Dei gloria su-

scipienda excitaret, dicere iis solitus erat: omnia mundi oblectamenta esse momentanea, inferni vero pœnam esse æternam: *voluptas brevis, poena perpetua*. O frater, eadem verba sæpissime repete; dic tibi ipsi, voluptas qua fruor in possessione divitiarum quas inique detineo, *brevis est*; voluptas quam percipio in ludis, in libiliniis, et in ebrietatibus *brevis est*; voluptas quam in hujus et illius creaturæ amore degusto, *brevis est*; si autem non convertar ad Dominum Deum meum, supplicia quæ in inferno patiar, non brevia, sed perpetua erunt. Hæc recogitate, hæc serio meditamini, et frequentius hac meditatione excitamini ad scopendam et purgandam ab omnibus peccatis conscientiam vestram: ut mereamini et hæc supplicia declinare, et æternam beatitudinem obtinere. *Amen*.

DOMINICA TERTIA.

DE CONFESSIOE.

Erat Jesus ejiciens demonium, et illud erat mutum.
(Luc. 11, 14).

A veritate, et a recta ratione multum aberasse videtur stolicus ille philosophus, qui silentium nulli unquam nocuisse asseruit, dicens: *nam tacuisse nocet nulli, nocet esse locutum*. Scimus enim Isaia propheta nocuisse silentium, cum se infelicem dicat eo quod tacuerit: *ve mihi, quia tacui* (6, 5). Multis aliis etiam tacere nocet, cum, scilicet ea tacent que dicere tenentur. Certum est, aliquod silentium esse bonum; ac certum est etiam, aliquod silentium malum esse et noxium. Si vir religiosus sileat, loco et tempore sibi præscripto, ecce bonum silentium: si autem quis sileat, cum tempus est loquendi, et tunc præcipue cum peccata sunt in confessione declaranda, ecce

silentium vere noxium et pessimum. Istud est silentium, ad quod homines allicere conatur satanas: si enim mutus dicatur daemon ille, quem hodie ejecit Christus, non inde hoc sortitur nomen, quod vere mutus sit, sed quia homines mutos reddit, impediens ne peccata confiteantur. O quot hodie hujusmodi muti! quot a dæmone mutuo possessi; qui aut nullo modo peccata sua confitentur, aut eorum aliqua in confessione reticent! Ut dæmonia illa muta ejiciantur, sed confessione sacramentali disseram in hac concione. *Ave*.

Confessio sacramentalis, quam Christus Dominus instituit, est *legitima accusatio de peccatis propriis facta sacerdoti jurisdictionem habenti, ad veniam obtinendam virtute clavium*. Confessio sacramentalis non est excusatio, sed *accusatio*; quia poenitens debet in confessione adversum se testificari, seque accusare. Confessio est etiam *accusatio de peccatis*: poenitentes enim in confessione non debent virtutes suas jactanter narrare, instar Pharisei, sed debent se accusare de peccatis, et cavere ne confessario peccata aliorum manifestent, quia confessio non est *accusatio de peccatis alienis*, sed *de peccatis propriis*. Hæc *accusatio* debet etiam fieri *sacerdoti jurisdictionem habenti*, et non alteri, quia solus sacerdos jurisdictionem habens potest valide a peccatis absolvere. Hæc tandem *accusatio* fieri debet *ad veniam a Deo obtinendam virtute clavium*; si enim non ad hunc finem quis se accusaret, peccatorum veniam virtute clavium non impetraret. Ecce quid sit confessio sacramentalis, cujus jam videbimus 1. necessitatem; 2. virtutem; 3. qualitates.

I PARS.

Confessionis necessitas.

Aliquam peccatorum confessionem, saltem in corde et interius Deo factam, in lege naturæ fuisse necessariam sentit Sanctus Gregorius; et ideo ait, quod Deus Adamum peccatorem que-